Morbio
26 (77)

GREGORIUS ep(iscop)us servus servorum dei Dilecto filio Hercuallo Beletta clerico Asten. Salutem et ap(osto)licam ben(edictionem). Vite ac morum honestas aliaque lauda-
bilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut illa tibi favorabiliter concedamus que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Hinc est quod nos
tibi ut commodius sustentari valeas de alicuius subventionis auxilio providere ac premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesias-
ticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Tibi pen-
sionem Annuam ab omni Decima quarta media et quavis alia fructuum parte subsidio etiam charitativo et quavis alia impositione etiam pro reparatione et fabrica Basilice Principis Apostolorum de Urbe Cruciata
sancta et expeditione contra Turchas aut alios infideles et quavis alia quantumvis urgentissima ac necessaria causa etiam ad Imperatoris Regum Ducum aut aliorum Principum instantiam canonice vel de facto im-
positis et imponendis etiamsi in impositionibus huiusmodi caveatur expresse quod pensionarii quicunque pensiones suas quantumvis exemptas habentes pro rata pensionum suarum premissis contribuere teneantur quam
ratam infrascriptus Marcusantonius de suo proprio solvere promittit absque spe aliquid unquam postea repetendi omnisque rate huiusmodi in se ex nunc pro se infrascriptisque successoribus suscipit et quicquid propterea solverit
etiam ex nunc tibi gratiose donat et remittit ac gratiose donatum et remissum esse vult ac fore promittit etiam donatione pura perpetua et irrevocabili inter vivos nec non belli pestis grandinis siccitatis alluvionis inun-
dationis depopulationis agrorum devastationis aut amissionis fructuum grandinis et cuiusvis alterius quantumvis sinistri et inexcogitabilis ac insoliti casus fortuiti eventu liberam immunem et exemptam Quinqua-
ginta ducatorum auri de Camera super Prioratus beate Marie Maioris nuncupate Oppidi Secusie ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium Taurinen. diocesis fructibus redditibus proventibus iuribus obventionibus
et emolumentis universis tibi quoad vixeris vel procuratori tuo ad id a te speciale mandatum habenti per dilectum filium Marcumantonium Vitia clericum Asten. cui nuper pro eo quod nos hodie dictum Prioratum certo modo
quem haberi volumus pro expresso vacantem eidem Marcoantonio per eum quoad viveret tenendum regendum et gubernandum commendari mandavimus prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur per dilectum
filium Jacobum Curtium clericum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum expressus accedit assensus et successores suos dictum Prioratum in titulum vel commendam aut alias quomodolibet obti-
nentes Annis singulis pro una videlicet in domini nostri Jesu Christi et altera medietatibus dicte pensionis in beati Joannis baptiste Nativitatum festivitatibus in dicto Oppido vigore presentium nec antea alias dicta pensio nulla sit
eo ipso integre persolvendam apostolica auctoritate earundem tenore presentium reservamus constituimus et assignamus Decernentes Marcumantonium et successores prefatos ad integram solutionem pensionis huiusmodi tibi faci-
endam iuxta reservationis constitutionis et assignationis predictarum tenorem fore efficaciter obligatos Ac volentes et eadem auctoritate statuentes quod ille ex Marcoantonio et successoribus prefatis qui in dictis festivitatibus
vel saltem infra Triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem predictam per eum tunc debitam non persolverit cum effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat a qua donec tibi vel eiden
procuratori tuo de pensione huiusmodi tunc debita integre satisfactum aut alias tecum vel cum dicto procuratore tuo super hoc amicabiliter concordatum fuerit preterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium
nequeat obtinere Si vero per sex Menses dictos Triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo quod absit sustinuerit indurato ex tunc effluxis Mensibus huiusmodi dicto Prioratu perpetuo privatus existat
ac Commenda cessare et illa cessante Prioratus huiusmodi vacare censeatur eo ipso Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Prioratus et ordinis huiusmodi nec non Monasterii seu alterius
regularis loci a quo dictus Prioratus forsan dependet iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque Aut si Marcoantonio et
successoribus prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod ad prestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas
non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam
vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
nostre absolutionis reservationis constitutionis assignationis decreti voluntatis et statuti infringere vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis
Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo octuagesimo tertio Idibus Novembris
Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

T. Tranus
P. Franus

Fran. Bellottus p(ro) Magris

M. A. Sclupius
Archipianus
A. Sandus

Vin. Raymundus pro ... sol. in pro...
Robertus Attavanthius

B. Rissimus pan. ...
I. Franus ...

Jo. M. Bucca pro ... in provisione
A. Sandus

Vin. Raymundus pro ... solvit in provisione
... Bonnarius

R. Panizza p(ro) Ann. solvit in ...

Exposuit ducatos tresdecim P. Panizza

Rodr. Enriquez

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871937531-18/fragment/page=0001

1583. 13/XI

Anno incarn.is D. Mccccc Lxxxj die xxiii febr. R.tis dom. Ass.o
et litt. exped.m Cons.

Paride doria Jo. bap.ta zianus

Sfortia

Morbio 26 (77)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871937531-18/fragment/page=0002